



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

11 Canonicus inseruiendo praelato suo fructus, non distributiones percipit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

DECISIO II.

Ex cons. 3. alias 1.

Lex generalis prior non tollitur, sed limitatur, per posteriores speciales in aliqua specie illi contrariam illam speciem: ita etiam lex generalis posterior per legem priorem specialem ei contrariam quoad illam speciem limitatur. Sed & posteriores, ff. de legib. etiam si in lege noua poneretur clausula illa, Non obstantibus legibus, Dec. in Reg. in cor. ff. de regul. iur. a. num. 7. vnde consuequenter nec statutum, quo Concilium Tridentinum sess. 24. c. 12. s. præterea, de reform. disponit, vt omnes Canonici teneantur residere, & quod non possint abesse ultra tres menses, & quod nemo percipiat fructus in absentia, derogando statutis, & consuetudinibus contrariis derogare censetur duobus illis capitibus iuris antiqui c. de ce. & ad audientiam, de ele. non resid. quæ sunt leges speciales, & hanc generalem Concilij constitutionem limitantes sic neque per præfatum Concilium derogatur in canonibus, c. 1. de cler. non resid. in 6. quibus conceditur infirmis, & detentis legitime lucrari fructus in absentia, sed Concilium potius per illos limitatur.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 1.

Canonici qui quadraginta annis seruiunt Ecclesie, non liberantur ex hoc a residentia, cuius nulla lege statutum sit, & post Tridentinum, sess. 24. c. 16. de ref. Canonici per sonalem residentiam requisiti non obstant quocumque consuetudine antiqua: Et qui non interest officis diuinis, distributiones quotidianas lucrificare non possunt.

DECISIO IV.

Ex consilio 4. alias 15.

Parochus, qui ex iusta causa licentiam scriptam habuit ante Concilium ab Episcopo suo absentandi se ab Ecclesia sua parochiali: etiam post Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. de ref. & c. relatum, de cler. non resid. sine alia noua licentia abesse potest: cum licentia semel data, quousque reuocetur, durat, etiam post mortem concedentis: Arg. c. si super gratia, de offi. dele. in 6. vnde & parochi qui ante Concilium Tridentinum causa studiorum licentiam ab Episcopo absentandi se obtulerunt, cum ex eo, de elec. in 6. etiam post Concilium confirmatum nouam licentiam petere non tenentur.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 19.

Canonici regularis tenentur suo statu regulari, licet parochialem de nouo obtinere non possint, vel obtentam ante professionem post eam factam rennere, nisi cum legitima dispensatione: ea. ne pro cuiuslibet 16. q. 1. c. si quis iam translatus, 21. q. 2. c. Ne in agro, si ane. 2. de statu monac. c. clesiam tamen residentiam requirens canonice adaptus, in ea potius quam in Ecclesia regulari: cuius est Canonici, residere tenetur: cap. 1. 18. q. 1. & c. cum olim. 2. de priu. Propter suam tamen parochialem, aut residentiam in ea, statum suum regularem non amittit, sed obligatus manet ad castitatem paupertatem, & obedientiam, licet hanc non debeat prælati, sed ad obedientiam in parochiali seculari, sed Episcopo illius superiori.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 5.

Residens, sicut alij similes residere solent, satisfacit, nisi postea iuxta Concilij Tridentini decreta sess. 21. cap. 1. de ref. & sess. 22. c. 3. de ref. alia residentia cum consensu Capituli singulis imponatur, tunc enim residere tenentur, & interesse diuinis officijs eo modo quo ab ipsis fuerit ordinatum.

DECISIO VII.

Ex cons. 7. alias 6.

Utrum de similibus idem sit iudicium, c. Dudum, de el. consuetudo non residendi in similibus, scilicet vel per alium idoneum, & ab Episcopo approbatum excusata residentia tali, vel tali modo a fundatore imposta: maxime cum Episcopus ex consensu patroni iusta de causa dispen-

sare possit super qualitate ad beneficium tuendum requisita. Fel. in c. cum accessissent, de constit. num. 18.

DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alias 9.

Quamuis distributiones assignari possint certis quibusdam horis, & non alijs, statuit tamen non potest, quod quis beneficiariorum interessens certis officijs diuinis, lucretur distributiones non solum assignatas pro illis, sed etiam assignatas pro alijs, vel quod interessens vna hebdomada certis officijs lucretur illa, quæ pro illis alia hebdomada interessentibus eis dari solent: Et si quæ talis alicubi consuetudo sit, & illicita est, & tam iuri antiquo, cap. 1. de cler. non resid. in 6. quam nouo Concilij Tridentini decreto sess. 24. c. 12. de reformatis antiquum innouanti, omnino contraria.

DECISIO IX.

Ex cons. 9. alias 11.

Canonici coniecti in carcerem propter suspicionem homicidij, & ob indicia tortus, & tandem absolutus, & innocens iudicatus omnes fructus, & distributiones quotidianas Ecclesie, quæ inter alios, canonicos præsentibus, & officijs diuinis interessentes distribuuntur: lucrifacit, eo quod omnis necessitas corporalis non solum ea, quæ reddit impossibilem aditum ad diuina, vt est coiectio in carcerem, sed etiam quæ reddit incommodum notabiliter corpori, ita vt etiam si possent, modo non possent sine rursus corpore, puta quia est sanguine mitius, vel acceptio potione aliquam medicinale, efficit, vt absenti reddantur fructus, & distributiones quotidianas, quas lucratus fuisset si sic impeditus non fuisset: cap. 1. de cler. non resid. in 6. & Dominici & ca. quoniam, dist. 28. cum nemo ad impossibile obligetur, c. Nemo, de reg. iur. in 6. nec culpa carens damnum pati debet, c. de constituit.

DECISIO X.

Ex cons. 10. alias 8.

Abens Canoniatum, vel dignitatem in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata residendo in Curia Romana, de mandato sui Capituli, vel Collegij, pro causis, & negotijs Ecclesie sue gerendis satisfacit obligationi quam habet residendi in sua Ecclesia, tam secundum iura communia antiqua, c. ex parte, de cler. non resid. quam noua Concilij Tridentini, sess. 24. c. 12. de ref. & residere censetur, etiam quoad querendos fructus temporis, & cum non deceat, de elect. in 6. & etiam distributiones lucrandas pro toto tempore quo abest, pro Ecclesia sue utilitate: Archid. recepl. in c. 1. tit. & li. eod. Sicut etiam & Regularis ob Monasterij sui, vel amici eius negotia, de superioris sui licentia absens, residere censetur & præsens in suo Monasterio. Ar. ca. Monachi, 2. & c. qui vult, 16. q. 1. Inno. in c. cum I. & A. de re iudic. Immo & Nouitius, qui iuxta Concilij Tridentini decretum, sess. 25. ca. 15. de reg. professionem facere non potest, nisi in religione residerit per annum, siue in Monasterio, siue extra, de mandato & licentia superioris residere negotia utilia ei faciendo, ita residere censetur, vt annum probationis compleat. Situ. ve. Religio, 3. q. 19. & N. in c. statuius, n. 75. com. 2. de Regulari.

DECISIO XI.

Ex cons. 11. alias 2.

Episcopi in suis obsequijs duos Canonicos suorum Ecclesiarum retinere possunt, c. ad audientiam, & c. cum dilectus, de cler. non resid. & alij Prælati Ecclesiarum collegiatatum non Cathedralium qui sunt quasi Episcopi saltem vnum. Arg. c. his quæ de maior. & obed. Panorm. in c. de cetero, de cler. non resid. Quo tempore absentia, & seruij, licet fructus suorum Canoniatum lucrificantis distributiones tamen quotidianas, quas aliqui victualia vocant, & quæ tantum interessentibus diuinis diuiduntur, recipere non possunt, c. licet de præb. & c. de cetero de cler. non resid. nisi ex speciali Papæ licentia, præterquam in diebus, & mensibus, & negotijs illis, in quibus, & propter quæ etiam alij Canonici lucrificantur illas etiam si absint: adeo quidem, vt consuetudo non possit eis prodesse, c. 1. de cler. non resid. in 6. Immo nec hodie remissio collegiarum saltè præcedens earum amissionem illis prodesse potest, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de ref.

D DE-